

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

UNIVERSITY OF TORONTO

*Level Two Medieval Latin Examination*

**4 September 2013**

\*\*\*\*\*

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

\*\*\*\*\*

**1. Einhard on Charlemagne's building activities (in Aachen, Mainz, Ingelheim, and Nijmegen)**

Qui cum tantus in ampliando regno et subigendis exteris nationibus existeret et in eiusmodi occupationibus assidue versaretur, opera tamen plurima ad regni decorem et commoditatem pertinentia diversis in locis inchoavit, quaedam etiam consummavit. Inter quae praecipua fere non inmerito videri possunt basilica sanctae Dei genitricis Aquisgrani opere mirabili constructa et pons apud Mogontiacum in Rheno quingentorum passuum longitudinis - nam tanta est ibi fluminis latitudo; qui tamen uno, antequam decederet, anno incendio conflagravit, nec refici potuit propter festinatum illius decessum, quamquam in ea meditatione esset, ut pro ligneo lapideum restitueret. Inchoavit et palatia operis egregii, unum haud longe a Mogontiaco civitate, iuxta villam cui vocabulum est Ingilenheim, alterum Noviomagi super Vahalem fluvium, qui Batavorum insulam a parte meridiana praeterfluit. Praecipue tamen aedes sacras ubicunque in toto regno suo vetustate conlapsas conperit, pontificibus et patribus, ad quorum curam pertinebant, ut restaurarentur, imperavit, adhibens curam per legatos, ut imperata perficerent.

## **2. Augustine writes to Firmus on how to deal with the bulkiness of the City of God**

Libros De ciuitate Dei quos a me studiosissime flagitasti etiam mihi relectos sicut promiseram misi, quod ut fieret, adiuuante quidem deo, filius meus germanus tuus Cyprianus uere sic institit quemadmodum mihi ut instaretur uolebam. Quaterniones sunt XXII quos in unum corpus redigere multum est. Et si duos uis codices fieri, ita diuidendi sunt ut decem libros habeat unus, alius duodecim. Decem quippe illis uanitates refutatae sunt impiorum, reliquis autem demonstrata atque defensa est nostra religio, quamuis et in illis hoc factum sit ubi oportunius fuit et in istis illud. Si autem corpora malueris esse plura quam duo, iam quinque oportet codices facias, quorum primus contineat quinque libros priores quibus aduersus eos est disputatum qui felicitati uitae huius non plane deorum sed daemoniorum cultum prodesse contendunt, secundus sequentes alios quinque qui uel tales uel qualescumque plurimos deos propter uitam quae post mortem futura est per sacra et sacrificia colendos putant. Iam tres alii codices qui sequuntur quaternos libros habere debebunt.

## **3. Boniface VIII: triumph and humiliation (Biondo Flavio, *Italia illustrata*, 1453)**

Anagnia civitas duobus Romanis pontificibus, tertio Innocentio et octavo Bonifacio civibus, decorata. Bonifaciusque vel ea ratione gloriosus pontifex fuit, quod annum Iubilaeum primus Romanorum pontificum Romae instituit. Isque, qui quartus praesenti anno celebratur, Iubilaeus maiores multo ceteris hucusque habuit populorum mulitudinem, melius in dies ut videbatur processurus, nisi exardescere incipiens praesenti Iunio pestilentia et multos absumpsisset, et curiam abire suasisset, et populos ab adventu deterruisset. Inde vero fuit Bonifacius infelix, quod Sarram Columnensem capitali prosecutus odio Praeneste vetustissimam urbem, quam is Sarra paterna possederat successione, solo aequavit. Et duos ex ea familia cardinales dignitate privavit, quos Clemens V illico restituit. Et postmodum regem Franciae Bonifacius adeo irritavit ut, immissus adiutusque ab eo Sarra eundem pontificem in patria et domo paterna ceperit, Romamque captivum abduxerit, ubi nulla magis ratione alia diem male obiisse creditus est quam quia simplicem corde et sanctum virum Caelestinum quintum, qui pontificatu quo se per renuntiationem exuit illum ornaverat, in Fumonis carcere mori coegerat.

#### **4. Justinian's directions on the compilation of the *Digest***

Iubemus igitur uobis antiquorum prudentium, quibus auctoritatem conscribendarum interpretandarumque legum sacratissimi principes praebuerunt, libros ad ius Romanum pertinentes et legere et elimare, ut ex his omnis materia colligatur, nulla (secundum quod possibile est) neque similitudine neque discordia derelicta, sed ex his hoc colligi quod unum pro omnibus sufficiat. Quia autem et alii libros ad ius pertinentes scripserunt, quorum scripturae a nullis auctoribus receptae nec usitatae sunt, neque nos eorum uolumina nostram inquietare dignamur sanctionem. Cumque haec materia summa numinis liberalitate collecta fuerit, oportet eam pulcherrimo opere extruere et quasi proprium et sanctissimum templum iustitiae consecrare et in libros quinquaginta et certos titulos totum ius digerere, tam secundum nostri constitutionum codicis quam edicti perpetui imitationem, prout hoc uobis commodius esse patuerit, ut nihil extra memoratam consummationem possit esse derelictum, sed his quinquaginta libris totum ius antiquum, per millesimum et quadringentesimum paene annum confusum et a nobis purgatum, quasi quodam muro uallatum nihil extra se habeat.